



Sanctus Amāndus pietate & doctrina apud Germanos nulli suo tempore secundus extitit. Hoc modo cū singulari faciētia esset pręditus, euangelium Christi hominibus ad ripam Rheni circa Vuormatiam habitantibus, annunciauit, Anno Christi quadringentesimo decimo. Itaque cum Victor eius loci Antistes mortuus esset, piorum hominum admonitione Amandus eius Ecclesię curam suscepit, atque magna diligentia omnia administrauit. donec tandem laboribus & ætate fessus, uitam hanc terrenam cum cœlesti beatitudine commutarit. in eius locum Carolus Archiepiscopus Vuormatiensis electus fuit. De eo hi uersus extant:

Præsul amauit oues proprias & pauit Amandus
 Idcirco superis semper amandus erit.
 Ille Deum docuit ardenter Amandus amandum
 Is nobis igitur semper amandus erit. Anon.